



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XCIV. Agnes, Herzogin von Braunschweig, bestätigt dem heil. Geist -
Kloster in Salzwedel die Vogtei über Wendisch - Chüden, im Jahre 1328.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

XCIII. Der Rath der Neustadt Salzwedel genehmigt ein von Werner Chüden dem Altar Symonis und Juda in der Katharinenkirche ausgesetztes Vermächtniß, am 11. November 1327.

In nomine domini Amen. Nos hupertus, hermannus marquardi, vynkelere, Thidericus colfun, thidericus doleator, Johannes Rekeling, hinricus brunowen, Johannes veleviz, Bodo vicken et hinricus de medebeke, Consules noue Ciuitatis soltwedel, recognoscimus publice protestantes, Quod hinricus de Puggen, sana vita sua comite, cum bona voluntate vxoris sue et suorum heredum, vendidit et resignauit Domino wernero de Chuden vnam marcā denariorum census perpetui ex hereditate sua, in qua nunc moratur, perpetue percipiendam, In hunc quidem modum. Predictus dominus wernerus et mater sua suis temporibus hoc censu perfrui licite et pacifice debebunt, Et post decessum amborum Rudolffus de chuden, frater predicti domini weneri, et suus filius albertus simili modo suis temporibus predictum censum percipere debebunt. Verumptamen post mortem omnium predictorum Octo solidi de censu prenominato debebunt devolui in redditus altaris Symonis et Jude beatorum Apostolorum, fundati in ecclesia beate Katherine virginis gloriose in noua ciuitate Soltwedel situata, videlicet ut si quis prenominati altaris tunc temporis est vicarius, predictos octo solidos suo ministro erogabit, Et octo solidi vitricis ecclesie debebunt presentari ibidem in pretium calcancium organa. Ille census quatuor temporibus anj est erogandus sic: quatuor solidi in Natiuitate domini dari debent, quatuor in festo Pasche, quatuor in festo Johannis baptiste atque quatuor in festo mychaelis dabunt. Preterea possessor predictae hereditatis pro hoc censu debet dare, sicut pro alijs bonis suis, exaccionem, que schot vulgariter nuncupatur. Qui census si non daretur quolibet termino expedite, mox nuncius ciuitatis expignorare deberet eundem. Verumptamen hanc elemosinam sepeditus dominus Wernerus fecit predicto altari et calcantibus organorum post obitum suum et aliorum trium ob reuerenciam omnipotentis dei et sue matris virginis marie et omnium sanctorum in remedium anime sue et omnium suorum progenitorum. In quorum omnium euidentis testimonium Sigillum nostrum presentibus est annexum. Datum Soltwedel, Anno domini M^o. CCC^o. XXVII^o., In die Martini Episcopi.

Nach dem Original im Archiv der Stadt Salzwedel, Fach 32, No. 4.

XCIV. Agnes, Herzogin von Braunschweig, bestätigt dem heil. Geist-Kloster in Salzwedel die Vogtei über Wendisch-Chüden, im Jahre 1328.

In nomine Domini Amen. Nos dei gracia Agnes, Ducissa Brunluicensis, quondam Marchionissa Brandenburgensis, omnibus hanc litteram inspecturis vel auditoris salutem in filio virginis gloriose. Quoniam ea, que sub humanis in tempore fiunt actibus cum tempore euanescent —; Hinc est, quod nos ea, que ad omnipotentis Dei honorem fiunt, nolentes infirmari, sed potius perennari, recognoscimus in hijs scriptis, quod religiosus vir Dominus Siffridus, prepositus monasterii Sancti Spiritus prope Soltwedel, nobis exposuit, quod nostri Aduocati et quidam alii ipsum et monasterium in bonis et silua ville Slaicalis Chudene, ad idem monasterium pertinentis cum omni jure, impediunt, nec impedire desistunt. Quare literas illustri Principis Domini

Ottonis, nostri aui dilectissimi, et suorum fratrum Dni. Alberti et Dni. Ottonis, pie memorie Marchionum quondam Brandenburgensium, super eadem bona conscriptas vidimus, et legi nobis fecimus, in quibus lucide inuenimus, predictam villam cum silua sub certis terminis seu limitibus ad prefatum monasterium integraliter cum Aduocatia et omni iure pertinere. Quia vero ad nos, que plus ceteris a Deo recepimus, donationes piis locis precipue a nostris progenitoribus factas non infirmare, sed semper fouere et tueri et omnes impediens et impugnantes cohercere et debilitare, predictam donationem tam rationabilem et piam gratam habemus, et in nomine Domini nostri Jesu Christi confirmamus. Prohibentes omnes et singulos districtissime, ne de cetero aliquatenus prenominatum monasterium in predictis bonis et silua impediant, nostris precipue et singulariter Aduocatis injungentes et precipientes, ut ab insultibus et inuasionibus eorundem honorum et silue omnes et singulos auctoritate nostra compescant. Si quis autem horum temerarius violator extiterit omnipotentis Dei iram et nostram indignationem se certissime nouerit incursum. Testes horum omnium sunt Dominus et Dominus Conradus, in Gardeleghe plebanus, nostri capellani, Tidericus et Bernardus de Schulenborch, fratres milites, Bodo et Siffridus, fratres de Walltoue, famuli, aliique quam plures fide digni. In quorum omnium euidentiam presentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno domini M^o. CCC^o. XXVIII^o.

Nach Gersten's Cod. VIII, 451.

XCv. Herzog Otto von Braunschweig genehmigt die Schenkung des Patronats über die Katharinenkirche und den Mathäi-Altar in Salzwedel an das h. Geist-Kloster daselbst, am 2. Februar 1329.

In nomine sancte et individue trinitatis. Amen. Dei gratia nos Otto, Dux Brunswicensis, uniuersis Christi fidelibus hanc paginam uisuris vel auditoris salutem in uero salutari. Quoniam gesta temporum presentium cito in oblivionem transeunt, nisi scripture testimonio et testium annotatione deducantur in notitiam futurorum; hinc est, quod nos ea, que nostris sunt rationabiliter temporibus et in perpetuum duratura cupientes esse manifesta, tam presentis temporis hominibus quam futuri, recognoscimus in hiis scriptis publice protestantes, quod domina Agnes, nostra conthoralis karissima, quondam Marchionissa Brandenburgensis, de nostro consensu et voluntate bona, ad honorem Dei omnipotentis et sue matris sanctissime Virginis Marie, pro sue anime ac nostre suorum parentum ac nostrorum remedio, donauit monasterio sancti spiritus prope Soltwedele canonicorum regularium jus patronatus ecclesie sancte Katharine civitatis Soltwedele nove et altaris sancti Mathei in eadem ecclesia fundati, prout dominus Conradus, nunc ibidem plebanus, ea possidet, in perpetuum possidenda. Quam donationem, sicut de nostra bona voluntate dinoscitur processisse, ratificantes in hiis scriptis, prelibato monasterio, prout in literis domine Agnetis, nostre conthoralis predictae, super hoc confectis continetur, in Christi nomine confirmavimus. In cujus donationis et nostre ratificationis ac confirmationis euidentiam plenior presentem literam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Testes huius facti sunt strenui Viri Ludolphus de Holueghe, Gunzelinus et Borchardus de Bartensleue, Tidericus et Bernardus de Schulenborch,